

lus tenetur facere quod melius est, nisi illud melius cadat sub voto, vel præcepto, ita quod obliget, et oppositum sit peccatum. At sequi id quod est probabilius, est sequi id quod melius, nam id quod est minus probabile, dummodo vere probabile sit, est bonum, si enim esset peccatum non esset probabile, nec prudens; ergo satisfacit obligationi, et non peccat faciendo probabile, etiam si non faciat probabilius. Quod si illud quod est minus probabile respectu probabilioris non manet probabile, nec licitum, jam illud non est probabilius, seu magis probabile, sed certum, vel solum probabile non est aliud, comparatione cujus magis probabile dicatur.

LXXII. Respondetur quod quando nos dicimus teneri sequi quod probabilius, et securius est, sensum esse quod id quod ratione sui, et secundum se consideratum erat probabilius alio, poterit ex suppositione alicujus circumstantiæ obligare; qua circumstantia supposita, jam oppositum non manet licitum, aut probabile, licet secundum se probabile esset, verbi gratia, si probabile est competere isti jus ad talem civitatem, aut provinciam, nec est in possessione illius, et probabilius est competere alteri, non isti, tamen si bello dirimendum est jus, non poterit illud indicare, qui solum habet probabile jus, seu minus probabile altero, propter circumstantiam belli, quod fit cum damno multorum innocentium, qui habent majus et melius jus, ne ex jure dubio alterius ipsi afficiantur damno, et spolientur bonis propriis. Unde ratione istius circumstantiæ obligabitur sequi id quod probabilius, et securius est, scilicet abstinere a bello, et reducere rem ad judicium, in quo si forte gravetur aliqua injuria, potest ad illam depellendam uti bello; quia tunc jam non ipse est causa

damnorum, sed qui injuriam intulit, et lacesivit. Itaque in hoc sensu dicimus obligari aliquem sequi id quod probabilius est, non quatenus probabilius, et melius secundum se, sed quatenus ex aliqua circumstantia adjuncta redditur necessarium, et oppositum improbabile practice, seu hic et nunc: ex ratione circumstantiæ.

LXXIII. Quod etiam observandum est pro his, quæ infra dicemus de ministro sacramentorum, quando non potest uti probabili sententia, relicta probabiliori. Nam revera non intelligitur, quod sit probabilior, et probabilis absolute, et omnibus consideratis hic et nunc, sic enim poterit utraque opinio uti prout voluerit, si utraque remanet intra limites probabilis practice et prudentialiter, et cum pro utraque sint fundamenta non utitur una, et relinquit aliam sine fundamento, et ratione, sed cum illa, qua tamen potest libere uti, vel non uti. Sed intelligitur quod sit aliquando opinio probabilis, et probabilior secundum se, et tamen aliquando per accidens, et ex suppositione circumstantiæ adjunctæ illa, quæ est probabilior potest reddi necessaria hic et nunc; sicut et illa, quæ minus probabilis erat, ex aliquo respectu boni communis, vel ex alia circumstantia interveniente potest reddi securior et melior.

ARTICULUS VI.

Quid de conscientia subditi, et aliorum ministrorum?

I. Inter subditos, seu eos qui sunt inferiores principi, potest primo considerari id quod generale est pro omni subdito: secundo, id quod speciale est in aliquibus, ut in judi-

ce, avvocato, medico, ministro sacramentorum, etc. Et de his sigillatim agendum est.

QUID SIT CONSIDERANDUM IN FORMANDA CONSCIENTIA SUBDITI.

II. Loquimur sub formalitate, et præcisione, quatenus subditus; nam de his, quæ sunt communia subditis, et prælatis jam supra satis dictum est. Subditus ergo quatenus subditus præcise habet hoc quod est obedire prælato, et ejus jurisdictionem agnoscere, eique parere, aut ab illa se subtrahere. Duo ergo in hac parte possunt considerari. Primum, quando subditus dubitat, an prælatus licite, vel valide sibi aliquid præcipiat; an secure possit obedire, et ipso præcepto prælati tutus reddi: secundo, quando subditus videt prælatum præcipere aliquid juxta probabilem sententiam, quam tenet, sed contra probabilioram, quam tenet ipse subditus in eo, an sit licitum, vel illicitum tale præceptum; an possit contra præceptum illud agere, et ab illo se eximere.

III. Ad primum respondetur, quod licet aliqui absolute existiment non teneri in tali casu obedire, quod attribuitur Adriano quodlibeto II, puncto II: alii vero absolute teneant oppositum, quod tenetur obedire, tamen distinguendum est, quod vel hoc dubium est solum circa materiam præceptam, non circa ipsam jurisdictionem prælati, sed est prælatus indubitatus; vel dubium est circa ipsam personam prælati, ita quod non est prælatus indubitatus, sed dubius. Si est dubium circa personam prælati, ejusque legitimam potestatem, et jurisdictionem, tenetur subditus facere diligentiam possibilem, ut certioreretur de legitimitate prælati: et si facta sufficien-

ti diligentia adhuc dubius maneat vere, et secundum debitas rationes judicio timoratorum, et doctiorum approbatas, et non propria tantum apprehensione ductus, non obligatur per se loquendo obedire ejus præcepto, nisi forte per accidens ratione alicujus scandali, quod ex tali inobedientia in publico sequeretur. De hac parte supra satis multa diximus loquendo de depositione conscientiæ dubiæ, ubi ostendimus, quod existente dubio de legitimitate prælati, et non resoluta post sufficientem diligentiam, non tenetur subditus ei parere, quia possessio stat pro libertate subditi, quæ non potest tolli per dubiam prætensionem prælati. Ratione tamen scandali, si forte inde oriatur deberet subditus obedire faciendo protestationem non præjudicandi jus suum. Si tamen inde damnum aliquod immineret subdito, vel aliis, ex tali obedientia prælati, non teneretur scandalo deferre, quod potius tunc esset passivum, non activum, quia subditus non causat illud, sed utitur jure suo, et solum permittit illud.

IV. Cæterum si dubium sit non circa ipsam personam prælati, ejusque legitimam potestatem, seu jurisdictionem, sed circa materiam, aut modum præcipiendi, quia dubitatur, an licita sit, et consequenter, an ex hac parte possit a prælato, seu superiore præcipi, quia licet prælatus sit legitimus, non tamen potest rem illicitam præcipere, et hac ratione etiam invalide præcipit, non invaliditate ex parte subjecti, seu personæ, sed invaliditate ex parte objecti, seu materiæ præcipiendæ. In hoc ergo casu dicimus, quod (ut supra jam diximus) existente dubio de re præcepta, an sit licita, vel illicita, vel dubium est pure negativum, quia scilicet non constant alicui causæ et rationes,

quibus hoc licitum redditur, verbi gratia, an bellum sit justum, vel injustum; an tributum legitimum, vel non, et alia similia. Et in hoc casu, non debet subditus examinare rem illam, sed parere, præsertim quando constat principem rationabiliter, et christiano modo gubernare. Si autem sit dubium positivum, quia revera rationes aliquæ se offerunt prudenter dubitandi, tunc potest et debet subditus diligentiam facere, et examinare dubium illud, præsertim si sit vir doctus, et rationibus stimuletur.

V. Quod si facta sufficienti diligentia, non invenerit justam resolutionem (nam si inveniat, eam sequetur) sed maneat dubius, debet parere superiori, et præcipue si dubium hoc communicaverit ipsi superiori, et eo non obstante ipse perseveret præcipiendo, et sit vir prudens, non temerarius, sic debet subditus deponere conscientiam suam dubiam, quia practice tunc non manet dubius obediendo superiori. Et ratio sumitur, tum ex auctoritate, tum ex ratione. Auctoritas est, quia Christus Dominus Judæis consulentibus, et dubitantibus, an liceret tributum dare Cæsari, Matth. xxii, Christus illud resolvit solum ostensa sibi subscriptione, et imagine Cæsaris, quæ visa in numismate dixit: *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, etc.* quasi inferens ex eo quod Cæsar erat princeps eorum deberi ei tributum in casu illius dubii. Ipsi enim interrogabant, an esset licitum illud tributum, ut patet in illis verbis: *Quid tibi videtur, licet censum dare Cæsari annon?* Ergo dubium erat de illa materia, an esset licita, licet interveniret mandatum principis. Christus autem ad resolvendum hoc dubium, non recurrit ad discutiendum causas impositionis tributi, aut alias rationes, ex quibus dubitabatur, an

ille census esset licitus, sed solum in casu talis dubii recurrit ad legitimam potestatem Cæsaris, quia ipsi fatebantur illud numisma in nomine, et imagine Cæsaris esse cursum, et sic ipsum esse legitimum suum principem, unde intulit ut redderetur ei illud tributum, quia in casu dubii sola legitima auctoritas principis præcipientis vincit.

VI. Ratio vero est, quia in casu dubii de materia præcepta, superior possidet, et utitur jure suo, quia est certo legitimus superior; subditus vero nulli periculo se exponit, quia si superior habet jus ad præcipiendum, subditus non potest esse liber ad resistendum, sunt enim inter se reciproca hæc duo, scilicet, quod si superior jure præcipit, subditus jure obediat, ad hoc enim ordinatur præceptum, ut ei obediat, et frustra præciperet prælatus, si subditus obedire non teneretur, sic enim præceptum non esset præceptum, si non est constrictivum. Quod vero superior jure præcipiat constat, quia in materia dubia post factam sufficientem diligentiam ipse adhuc possidet jus suum, et potestatem præceptivam, qua spoliari non potest propter dubietatem materiæ, ergo jure præcipit, si in tali casu præcipit. Nec subditus exponitur periculo, quia obedientia est certa, licet materia sit dubia, et obedientia talis excusat, quia juste obedit cui jure præcipitur, et sic ex obedientia ipsa excusatur, capite Quid culpatur xxiii, quæst. i.

VII. Et hæc doctrina præcipue habet locum, quando materia illa sic est dubia, quod superior, vel prælatus potuit cognoscere tale dubium, et cum cognitione ejus nihilominus præcipit. Tunc enim non solum subditus excusatur obediendo, sed etiam tenetur obedire, etiam si sit doctus, et dubii rationem cognoscat, quia debet supponere du-

bium examinatum esse a superiori, et resolutum, nec in his materiis moralibus oportet anxari post resolutionem, et sententiam superioris, quia sic non esset finis, et suspenderetur in multis regimen communicatis, quod est maximum inconveniens. Si autem dubium illud non sit tale, quod potuerit a superiore perpendi, sed dependeat ex aliqua conditione, vel facto occulto, quod si superior cognovisset, non jussisset, tunc abstinendum est a subdito quousque consulat superiorem de suo dubio, si commode possit, et sine jactura suæ famæ; si autem consulere non possit, epiikia utendum est, quia verisimiliter judicatur nolle superiorem pro tali casu subditum adstringere, verbi gratia, præcipit prælatus, ut celebret subditus, ille timet irregularitatem propter dubium homicidii, vel alterius casus contractæ irregularitatis, vel contrahendæ si celebret, tenetur si possit prælatum de suo dubio certificare; si vero non possit, debet abstinere, quia non præsumitur prælatus pro tali casu velle urgere præceptum. Consulto vero dubio, si prælatus illo non obstante præcipiat, debet obedire. Potest etiam subditus consulere cum aliis doctis, et timoratis dubium suum, et ex eorum consilio deponere, et prælato obedire. Videatur Montesinos hic disp. xxix, quæst. iv, numero cXLvii, et sequenti; Vazquez disp. LXvi, cap. ix, et alii.

VIII. Ad secundum respondetur, quod si est probabile id quod prælatus præcipit, licet oppositum sit probabilius, et tutius, nihilominus tenetur subditus obedire. Ita communiter doctores, licet pro opposita sententia referatur Adrianus quodlibeto ii, puncto iii, qui tamen magis videtur dicere, quod subditus non potest agere contra propriam conscientiam, quam contra pro-

priam opinionem: stat autem bene quod aliquid sit contra propriam sententiam etiam probabilior, et non sit contra conscientiam, quia etiam oppositum potest sequi.

IX. Et ratio hujus est, quia quod est probabile, si practice, et prudentialiter probabile sit, possumus sequi relicto probabiliori, et tutiori. Ergo multo magis potest id jure præcipi a prælato; ergo tenebitur subditus obedire. Prima consequentia est certa, quia illud judicatur probabile practice, quod est prudens, et licitum, si enim illicitum maneret, non esset prudentialiter, ergo nec probabile practice. Quidquid autem est licitum, seu bonum est materia præcepti, quia finis legis est facere homines virtuosos, et quod est licitum, seu bonum, est virtuosum; ergo ordinabile a lege. Secunda vero consequentia probatur, quia non stat quod prælatus jure præcipiat, et subditus non teneatur obedire, cum sint correlativa posse jure præcipere, et posse obligari, quod si manet obligatus subditus: ergo obligatur, seu tenetur præcepto obedire.

QUID DE JUDICE, ADVOCATO, MEDICO?

X. De judice certum est in communi, quod in dubio tenetur magnam facere diligentiam pro investiganda veritate, juxta illud Job xxix: *Causam, quam nesciebam diligentissime investigabam.* Quod intelligitur secundum viam juridicam, et servando terminos juris. Hoc enim postulat eorum ministerium, et officium, quod de aliis ex officio judicent, eisque tradit respublica causas suas judicandas, et decernendas, ergo ut suum impleant ministerium, magis tenentur facere diligentiam super veritate indagando.

da, quam privati homines, quibus hoc officium non committitur. Unde et Apostolus episcopos, qui sunt iudices, et gubernatores in Ecclesia maxime admonet de vigilantia super subditos, Actorum xx: *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos, regere Ecclesiam Dei*: et II ad Timotheum IV: *Tu vero vigila, in omnibus labora*. Ergo in investiganda veritate magnam diligentiam debent iudices adhibere, quia ex officio sunt indagatores veritatis causarum.

XI. Difficultas est, quando investigata veritate juxta allegata, et probata juridice, remanent opiniones probabiles circa talem materiam, aut una probabilior altera, an possit in sententia ferenda iudex sequi quamcumque opinionem etiam minus probabilem; an vero juxta qualitatem dubii debeat rem dividere si sit divisibilis; an vero semper teneatur probabilior sequi sententiam, vel conformari proprio iudicio.

XII. Respondetur quod dubium, et probabilitas circa illud potest esse, vel circa ipsum factum, vel circa jus, et legem disponentem quid faciendum sit, quia lex recipit diversas interpretationes, vel inter ipsa jura est aliqua contrarietas, et oppositio, seu diversitas. Aliqui ergo auctores per unum extremum dicunt, quod iudex semper debet judicare secundum sententiam probabilior, et non potest sequi minus probabilem, sicut potest privatus, quia iudex non est dominus illius rei quam iudicat, sed minister justitiæ, qui debet rem applicare habenti majorem justitiam, et majus; privatus autem non est minister justitiæ, sed utitur re aliqua juxta permissionem, et concessionem sibi indultam, et sic potest sequi opinionem quam maluerit. Ita Soto lib.

III de justitia, quæstione VI, articulo V, solutione ad quartum. Alii per aliud extremum sentiunt posse iudicem sequi opinionem probabilem relicta probabiliori, dummodo non sequatur scandalum: si enim talis opinio probabilis non posset sequi, hoc ipso probabilis non esset, quia inseguibilis.

XIII. Inter has duas sententias extremas sunt aliæ duæ mediæ. Altera quam sequitur Vazquez hic disp. LXIV, cap. II, qui distinguit de iudice inferiori, et superiori, et dicit, quod iudex inferior potest sequi opinionem minus probabilem relicta probabiliori, quia potest emendari et corrigi per superiorem, et sic habet recursum ejus iudicium. At vero iudex supremus non habet recursum ad alium, qui possit ejus iudicium emendare, unde tenetur sequi quod tutius, et probabilius est, ne fiat præjudicium emendabile. Alia vero sententia distinguit de dubio, seu probabilitate facti, et de probabilitate juris. Et dicit, quod circa factum quod sumitur ex probatione testium, et instrumentorum, idem est quod probabilitas sit inæqualis, et quod probatio inæqualis sit: tenetur autem iudex sequi majorem, et meliorem probationem, consequenter sententiam probabilior ex parte facti. At vero si opiniones sint circa ipsum jus, quod diversas accipit interpretationes probabiles, potest sequi minus probabilem relicta probabiliori, et alienam, relicta propria, dummodo omnes sint intra limites probabilitatis practicæ. Ita Martinez in hac quæstione XIX, articulo VI, dubio VI, circa secundam conclusionem.

XIV. Et quidem per hanc secundam sententiam videntur conciliari duæ priores. Nam sententia Vazquez sine dubio rejicienda est, quia si ideo potest inferior sequi opinionem minus probabilem, quia ejus

sententia revocari potest, ergo jam supponitur, quod illa sententia iudicis inferioris facta secundum probabilem opinionem fuit iniqua, nam sententia justa revocari non potest, sed confirmari: si autem fuit injusta, quia justitiam rectam non servavit, et ipse iudex hoc prævidet, peccat talem sententiam ferendo; qui enim scienter profert sententiam iniquam revocandam, seu annullandam, quia non servat justitiam, peccat, ergo si sequendo minus probabilem partem, illa sententia ex hoc ipso est annullanda, et revocanda, ex hoc ipso est injusta; ergo qui scienter illam profert, peccat; et sic qui scienter utitur probabili sententia, quæ revocari potest, peccat. Et quod sit annullanda, et revocanda hoc ipso quod tantum probabilis est secundum Vazquez, patet, quia supremus princeps secundum ipsum tenetur sequi probabilior, et non potest probabilem; ergo non potest confirmare sententiam iudicis inferioris, qui secutus est probabilem sententiam, ergo tenetur annullare.

XV. Nec potest dici, quod potest revocari sententia inferioris etiam si injusta non sit, nec injustitiam faciat, solum quia altera pars probabilior est. Nam si illa sententia revocari potest, non obstante quod injusta non sit, solum quia altera pars probabilis est; ergo etiam si inferior iudex sequatur probabilior sententiam adhuc poterit revocari, si contraria probabilis manet, quia hæc justa etiam erit, si probabilis est. Et sic si in omni eventu potest revocari sententia iudicis inferioris, sive probabilior, sive probabilem sententiam sequatur, etiam si justa sit, non obstat hoc quominus teneatur sequi probabilior, sicut supremus princeps, aut huic non obstat quod sequatur solum probabilem, quia potest revocare

probabilior iudicis inferioris, et quod possit, vel non possit revocari, non est propter injustitiam sententiæ latæ, sed propter probabilitatem utriusque partis. Et hinc sumitur altera ratio contra hanc sententiam ex parte supremi principis, quia non est cur prohibeatur ipse sequi probabilem sententiam relicta probabiliori, quia illa minus probabilis, si adhuc manet probabilis practice, adhuc est justa et bona, quia si non maneret justa, non esset prudens, et si non esset prudens non esset probabilis practice. Si autem justa manet, cur non poterit illam sequi princeps; tum etiam, quia princeps potest revocare suam sententiam non per viam appellationis, quia supremus est, sed per modum revisionis, aut supplicationis, et sic cessat ratio Vazquez; tum denique, quia potest princeps consulere viros doctos, et eorum sententiæ accommodari potius quam propriæ, licet propria securior, aut probabilior sit, quia illa probabilis etiam manet.

XVI. Relicta ergo hac sententia Vazquez, aliæ duæ priores videntur conciliari. Nam revera si attendamus ad probationes, et instrumenta, quibus aliquid juridice probatur, et factum ipsum liquidatur, tenetur iudex sequi pleniores, et firmiores probationes, et quoad hoc probabilior opinionem ex parte facti sequi tenetur. Ratio est, quia ubi est plenior, et major probatio est etiam fundatior, titulus, et jus, hoc enim ex probationibus crescit, et resultat, et per illas innotescit iudicibus, nec possunt judicare nisi secundum allegata, et probata in talibus instrumentis, et probationibus: ergo tenetur iudex probationes meliores sequi. Patet consequentia, quia ubi est melior titulus et jus, est possessio, si non ipsius rei, saltem ipsius juris, et tituli ad possidendum: in